





9  
1717, 11  
12  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA;

DE

**ABSENTIA,**

QVAM

**DIVINA FAVENTE GRATIA;**

ANNUENTE

*AMPLISSIMA FACULTATE JURIDICA,*

IN ALMA ET PERANTIQUA UNIVERSITATE ERFORDIENSI,

*SUB PRÆSIDIO*

**DNI. JOHANNIS HENRICI  
MEIERI,**

9. 510.  
JCTI, ELECTORALIS REGIMINIS CONSILIARII, DECRETAL. PROF.  
PUBL. FACULT. JURID. P. T. DECANI, SENIORIS ET JUDICII PRO-  
VINCIALIS ASSESSORIS PRIMARI, ETC.

*PATRONI AC FAUTORIS SUI VENERANDI,*

**PRO LICENTIA,**

**SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES**

**ET PRIVILEGIA DOCTORALIA SOLENNITER**

**CONSEQVENDI,**

*PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT*

**JOHANNES BALTHASAR DÜRFELD,**

*SAXO-GOTHANUS,*


**IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI,**

**DIE VI. OCTOBRIS, MDCCXVII,**

**HORIS CONSUVETIS.**

---

ERFORDIÆ, LITERIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.



DISPUTATIO IN ACADEMIA JURIDICA  
DE  
ABSSENTIA

DIVINA FACULTATE GRATIA  
ANNUENTE


MAJESTATE PATENTISSIMA  
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS  
1787  
DNI JOHANNIS HENRICI  
MILLERII

PRO LICENTIA  
SOMMO IN UTROQUE IURE HONORIS  
ET PRIVILEGIO DOCTORATAE SOLIUS  
CONFERENDI

JOHANNES BAPTISTAS BARFFELD  
IN AUSTRIACO IURISCONSULTUM  
DIE VI OCTOBRI 1787

BRUNNEN, JAMES JOH. HENRICI GROSSMANN, VALL. T. 188





Th. I.



Absentia quanquam in genere spectata dici possit, cum quis non est in loco, in quo praesens esse debet, aut ubi quid petendum vel agendum fuit, *L. 199. princ. ff. de verb. signif.* Cum tamen pro varia casuum contingentia diversimode quis praesens esse debeat, vel in provinciâ, vel in Civitate, vel in

foro, sive in Judicio, vel in domo, vel in actu seu negotio, ita pro diversitate materiae varie absentes in jure dicuntur. *L. 173. §. 1. & d. L. 199. ff. de verbor. signif. Gail. 1. observ. 49. n. 9.* sic in stipulationis materia absentes audiunt, qui sunt in loco quidem eodem, sed non eo, in quo se invicem exaudire possunt *L. 1. ff. de verb. obl.* in usucapionibus absentes habentur, qui non habent domicilium in eadem provinciâ uni praesidi vel proconsuli subjectâ *L. fin. C. de praescript. long. temp.* similiter quoad excussionis beneficium absentes vocantur, qui in eo sunt loco, ex quo facile evocari nequeunt. *nov. 4. C. 1. auth. praesente. C. de fidejusso.* item tutor absens dicitur, qui praesens non est in eo loco, in quo negotium cum pupillo geritur *L. 9. §. 5. & 6. ff. de aut. tutor.* pariter ut quis absenti procurator datus intelligatur, extra continentia urbis esse debet, nam alias praesens habetur, & qui in hortis est, & qui in foro & qui in urbe, & in

A 2

continen-

continentibus adificiis, & ideo procurator ejus præfenti esse videtur, ita in terminis habet, *L. 5. 6. 7. ff. de Procurator.* quod eò pertinet, ut si fortè procurator rei fit constitutus, non ipse cautionem præfartare necesse habeat, sed reus, qui in urbe est, vel in- vel extra judicium *judicatum solvi* satisfactionem exponere possit, secundum dispositionem *S. 4. Inst. de Satisfact.*

Th. II.

Et sicut absentes pro diversis tractatibus non uno modo dicuntur, ita & absentix divisiones varias tradunt interpretes, quarum tamen plerasque defectuosas esse probat SPORIATA ODDUS. *de restit. in integr.* Missis itaque aliorum opinionibus absentia in genere considerata non incongruè distinguitur in veram, & quasi talem, seu fictam; Illa est, si quis abest de loco, de quo quæritur; Hæc, si quis quidem in loco, de quo quæritur, quoad corpus sit præfens; juris tamen intellectu propter certas causas pro absente habetur. Sic in negotiis, in quibus consensus & intellectus requiritur, absentes habentur mente capti, infantes & furiosi, *L. 124. S. 1. ff. de Reg. jur. L. 17. S. 11. ff. de Injur.* Nec obstat *L. 2. S. 1. ff. de procur.* ubi dicitur, furiosum non esse habendum absentis loco. Nam loquitur certo respectu, scilicet quoad Procuratoris constitutionem; Cùm enim Ulpianus in *L. 1. S. 3. eod.* etiam absentem procuratorem dari posse, dixerat, subjungitur in *L. 2. eod.* talem absentem esse debere, qui consentire & ratum habere possit, & ideo furiosum in tali casu absentis loco habendum non esse, quia in eo desit animus, ut ratum habere non possit, & hic est genuinus *d. L. Obf. 2.* sensus, nec ejus verba ultra sunt captanda. Sicuti autem furiosi, mente capti, infantes, ebrüi & dormientes juris intellectu pro absentibus habentur, ita vicissim absentes corpore, juris intellectu aliquando præfentes censentur; e. g. si quis legitimè citatus per contumaciam emanferit, æque ut præfens condemnatur, ita etiam in publico officio constitutus, cum à Principe evocetur, quoad jus Salarium pro præfente habetur, *Bartol. in L. 19. ff. de Alim. legat.*

Th. III.

Th. III.

Vera absentia rursus distinguitur in ordinariam & extraordinariam. *Illa* est, quando quis abest à loco, ubi non habet domicilium, hoc modo Civis Erfurtenfis ordinariè Francofurtò abest, ubi nullum habet domicilium, & posset ista cum Struv. in *S. J. C. Exerc. 8. ib. 71.* appellari absentia *negativa*, seu quod negativè quis abfit, h. e. quod planè præsentia negetur, cum isto in loco non degat. *Hæc* est, quam causatur discessus vel alia absentatio accidentalis à loco, ubi domicilium habet, de qua in *L. 7. C. de incolis*, & posset hæcce vocari absentia *privativa*, seu quod quis privativè abfit, h. e. quod non præsens fit in eo loco, quo præsens esse solet. Atque hæc extraordinaria, ratione causæ imp. iterum subdividitur in necessariam & voluntariam: illa est, quæ oritur ex necessitate quadam; hæc, si quis sponte, nullâ necessitate coactus abfit; utraque tamen est vel laudabilis, vel vituperabilis, vel indifferens.

Th. IV.

Necessaria laudabilis est Legatorum, qui Reipublicæ causa absunt, sicut hoc explicatur in *L. 33. § seqq. ff. ex quib. causis maj.* ubi in *L. 35. §. 1.* ita etiam abesse dicuntur, qui missi sunt ad gratulandum Principi; nec non Medici militum, ac milites ipsi. Necessaria vituperabilis est eorum, qui propter delictum condemnati abesse coguntur, ut relegati, item qui justè incarcerati. Ex necessariâ indifferente, quæ per se nec laudem nec vituperium meretur, absunt, qui etiam necessario quidem absunt, sed ex causa indifferenti vel casuali, ut sunt à latronibus capti, aut qui injustè vinculis coercentur, aut propter justum metum & tempestatem adesse non possunt.

Th. V.

Voluntaria laudabilis est, quæ honorabilis & utilis, qualis est Studioforum, qui ex justissimâ causa abesse dicuntur in *L. 28. ff. d. 1. auth. habita C. ne Filius pro Patre*. Voluntaria vituperabilis est, quæ voluptatis, otii, vel latitationis causa ob delictum fit, qualis dicitur contumacia. Voluntaria indifferens,

ferens, quæ nec laude, nec pœna aut vituperio digna, est e. gr. Mercatorum, qui proprii tantum lucri causa absunt, dixi *proprii*, nam si propter annonam ex jussu Superioris abierunt, Reipub. causa abesse dicuntur, *L. 5. §. 3. ff. de Jure Immun.* quod idem dici potest, si, ut merces habeant in patriâ, & sic pro bono publico principaliter absint. Sfortia Oddus *d. tr. de restit. in integr.*

## Th. VI.

Consideratis potissimis absentiarum speciebus varia nunc etiam absentium jura ac beneficia pertractanda veniunt, inter quæ non minimum est infigne illud Privilegium restitutionis in integrum, quo iis, quibus vel propria vel alterutrius absentia nocuit, extra ordinem succurritur; *Qua* in materia duæ præsertim quæstiones distingvi debent: Utrum nimirum præsens restitui petat contra absentem? An absens contra præsentem? Nam certum est, *saltem jure Digestorum*, utroque modo restitutionem peti posse; Et quidem in primâ quæstione si læsus sim propter absentiam tertii, qui v. gr. rem meam possidet & absens est, ita ut ego rem meam petere non possim, illa verò interim usucapta ab eo sit, contra reduncem merito postulo restitutionem, neque hic inter absentia species distingvendum, cum etiam contra absentem ex injustissimâ causâ restitui volens audiatur, arg. *L. 21. §. 1. ff. ex quib. caus. maj.* cujus ratio est, quod præsens æquè convenire nequeat illum, qui ex injustâ, ac eum, qui ex justâ causâ abest, cum itaque præsentis nihil imputari queat, nec absentia alterius ei nocimento esse debet. Dicta tamen procedunt, nisi absens Procuratorem reliquerit, contra quem præsens agere potuerit, quod si non fecerit, rem suâ culpa amittit, *L. 1. §. 1. L. 21. pr. ibi.* Cum absens non defenderetur *ff. d. t.* Quare cessat etiam restitutio, licet absens Procuratorem non reliquerit, si modò ad præsentis interrogationem & interpellationem spontaneus sese obrulerit defensor; hinc, præsens investigare debet, an non aliquis ex absentis amicis ipsum defendere



defendere velit, quod si omiserit, ipsi restitutio denegatur.  
*L. 21, §. 2, & 3. L. 22. pr. ff. eod.*

Th. VII.

Dixi notanter: *saltem jure Digestorum*. Nam cum novo jure præsens contra absentem rei suæ possessorem habeat ordinarium remedium, quo usucapionem & præscriptionem rescindere possit, ex nova Imp. Justiniani sanctione in *L. 2. C. de annal. except.* ubi disposuit, ut nemini absentia vel potentia adversarii sui noceat, sed sit aliqua NB. inter defides & vigilantes differentia, posse nimirum eum qui præsens est, vel adire præsidem, vel Episcopum, vel hoc deficiente publicè ad domum absentis possessoris affigere libellum contestationis, & de possessoris absentia conqueri; perque illam querelam usucapionem interrompere; Hinc enata inter DD. non ignobilis & controversa quæstio, an novo jure præsens contra absentem adhuc restitutionem obtinere queat, an verò per dictum *L. 2.* remedium excludatur? Et quanquam *Lauterb. in compend. tit. ex quib. caus. maj. ibique Coccej. in Jure Controv. Riemer de Act. Disp. 3. Th. 26. Sfortia Oddus p. 1. q. 12. art. 4. Gloss. & Bart. in L. 26. §. ult. ff. ex quib. caus. maj. Jason. Lud. Gomes. & alii ad §. 5. Inst. de action.* constanter defendant, eum nihilominus utut novo *d. L. 2.* remedio non sit usus, in integrum restitutionis auxilium implorare posse: Mihi tamen cum *Bachov. V. I. D. XI. tb. 17. lit. a. Franzk Habn. ad Wesenb. Zas. Struv. ad ff. d. 1. Hopp. Schamb. ad d. §. 5. Inst. de action. Stryk. ad Comp. Lauterb. d. l. contrarium*, scilicet præsentem, qui sæpe dicto *L. 2.* novo remedio uti potuit & neglexit, contra absentem reversum restitutionem novo jure non competere, longè probabilius videtur. In quam sententiam certissimæ Juris rationes me movent. 1) quia restitutio facile concedi non debet ei, cui imputari potest, quod remedium ordinarium neglexerit, 2) qui remedio ordinario tutus est, illi non datur recursus ad extraordinarium *L. 16. ff. de minor.* atqui præsentem ordinario jure tuti sunt, *d. L. 2. C. de annal. except.* ergo. 3) restitutio non conceditur, nisi illis, qui alio modo jus suum defendere nequeunt,

queunt, *L. 21. & 22. ff. ex quib. causis maj.* unde existente defensore restitutio non conceditur *d. L. 22. 4)* cessante restitutionis causâ ipsa restitutio quoque cessare debet, atqui post remedium *d. L. 2.* cessat restitutionis causa, nam restitutionis causa olim consistebat in sola læsione, quæ ex completa præscriptione oritur, quam ante *d. l. 2.* impedire non poterat, & restitutio integrum principaliter prodita erat ad rescindendam usucapionem & interrumpendam præscriptionem, ergo cum per remedium *d. l. 2.* hic effectus obtineri possit, & ita prima actio conservari, vix est ut restitutio in integrum negligenti dari debeat, arg. *l. 16. ff. eod.*

## Th. IIX.

Nec obstat 1. quod dissentientes contra hanc nostram sententiam opponant, jus antiquum nullo juris textu mutatum reperiri, ergo ejus dispositioni meritò standum esse, arg. *l. 27. C. de testam. l. 32. in f. C. de Appell.* Nam cum Imp. in *d. l. 2.* desides inter & vigilantes apertam statuere voluerit differentiam, & vigilantibus, quibus absque hoc jura tantum scripta dicuntur, hoc remedium *l. 2.* accommodare, quis credit negligentibus juris antiqui beneficium relictum, unde de mutatione satis constat, præsertim cum ubi ordinaria remedia succedunt, extraordinaria vix locum amplius habere queant. Non obstat 2. quod dictum remedium *l. 2.* usucapionem tantum interrumpat, restitutio vero in integrum eam non solum interrumpat, sed per eam etiam res ipsa recuperetur. Ergo cum utilior & pinguior sit restitutio, ea per remedium illud *l. 2.* ordinarium non censetur sublata arg. *l. 3. §. 1. ff. nau. caup.* Respondeo enim multò melius & utilius esse integra jura sua conservare, quàm post vulneratam causam remedium quærere, ergo etiam multò consultius erit mox contra usucapionem ceptam protestari, pristinum quoque jus conservare, quam illud absente reverso demum per restitutionem recuperare; Nam & rem demum postquam absens reversus fuerit, per restitutionem recuperare quis poterit, ubi tamen duplici oneri sese subjiceret & petendi restitutionem,

stitutionem, quæ sine causæ cognitione nunquam conceditur, l. 3. *de in integ. restit.* & probandi rem antea fuisse suam, cum tamen si per remedium *d. l. 2.* usucapionem resciderit, jus omne suum integrum conservet, & reverso absente unicuique illud saltem, rem esse suam, probare necesse habeat. Hinc multo expeditius & promptius *d. l. 2.* remedium, quam restitutionis auxilium esse, certissime apparet.

## Th. IX.

Nunc ad alteram, supra in th. VI. propositam questionem transeo, si scilicet absens contra præsentem restitutionem petat, ubi inter diversas absentiae species distinguere oportet; Nam restitutio in primis conceditur propter omnem necessariam absentiam, sive sit laudabilis, sive vituperabilis, sive indifferens; De indifferente textus sunt aperti in *L. 1. pr. L. 2. §. 1. L. 3. L. 9. ff. ex qu. caus. maj.* de vituperabili verò, quod v. g. relegato etiam restitutio indulgenda sit, probatur ex *L. 40. ff. cod.* licet enim talis absentia in se sit vituperabilis, secundum quid tamen tali casu veniam meretur, ne absens lædatur *L. 20. ff. de Minor. Struv. Exerc. 8. Th. 73* Cum hac tamen limitatione, si e. gr. relegatus, aut alius ex causâ necessariâ vituperabili absens procuratorem relinquere non potuerit, aut quem reliquerit, mortuus fuerit, aut ab eo non defendatur, damnum verò à procuratore resarciri non possit, *L. 26. §. 1. ff. cod.* quomodo etiam intelligi debet *d. L. 20. ff. de minor.* alioquin enim si procuratorem cum posset, non reliquerit, restitutio ei denegatur *d. L. 26. §. 1.* Deinde restitutione succurritur ei, qui ex voluntariâ laudabili absentia læsus est. *L. 28. princ. ff. d. l.* sed voluntaria vituperabilis absentia nunquam locum facit restitutioni, pœnâ enim magis dignus est, qui ita abest, quam beneficio. Voluntaria denique indifferens non indifferenter locum facit restitutioni, sed arbitrio Judicis relinquatur, qui ex circumstantiis, an concedenda sit, æstimabit Franzk. *ad ff. d. l. 2. n. 18.*

## Th. X.

Non incongruè hoc loco quaeritur, an & absens ex laudabili

B

dabili

dabili necessariâ vel voluntariâ causa procuratorem relinquere debeat, & si procuratorem reliquerit, an à restitutione excludatur? utrumque affirmat *Zes. ad ff. ex quib. cau. ma. n. 10. & seqq.* Verùm rectius utrumque negatur cum *Bachov. & Hunnio V. 1. D. 11. ib. 17. lu. a. Struv. Ex. 8. ib. 73. Lauterb. Colleg. Tbcor. Pract. d. 1. §. 14.* propter textum expressum in *l. 26. §. fin. ff. d. 1. ibi: adjuvari eum debere, sive habuit procuratorem sive non.* Cujus ratio est, quod ea sæpe sit proficientium ratio & festinatio, illarumque occupationes, ut administrationem negotiorum suorum alicui demandare aut non possint, aut non veniat in mentem; Et si absens procuratorem reliquerit, ejus tamen negligentia læsus sit, ob justissimam absentia causam audiri debet, si malit restitui in pristina jura, quam interesse actione mandati consequi, cur enim minus succurratur ei, qui procuratorem constituit, quam illi, qui nemini rerum suarum curam demandavit, quem tamen restitui constat ex *d. l. 26. §. 1.*

Th. XI.

Nec obstat huic sententia 1.) *L. 39. ff. eod. quæ ait: is, qui Reip. causa absurus erat, si procuratorem reliquerit, per quem defendi potuit, in integrum restitui volens non auditur.* Nam recte respondet *Wesemb.* hanc legem non loqui de absente, qui procuratorem reliquerit, contra præsentem, sed de præsentem contra absentem restitui volente, huic etiam imputari potest, quod non egerit cum procuratore ab absente relicto, juxta *L. 26. §. 2. ff. eod.* Sensus igitur *d. Legis Obstant. 39.* hic est: si is, qui abfuturus erat *Reip. causa*, procuratorem reliquerit, & interea rem alterius præsentis usuceperit, tum præsentem huic non succurritur, ob negligentiam & culpam, quod cum absentis procuratore non egerit, quæ explicatio etiam *Hunnio & Bachov. d. l.* placet. Non obstat 2.) *L. 28. ff. d. 1.* ubi subveniendum dicitur ei, qui studiorum causa abest, si forte procurator relictus sit defunctus, ergo si procurator adhuc viveret, non esset restituendus. Resp. enim in *d. L.* verba illa: *forte procuratore defuncto* non determinativè, sed explicativè accipienda esse,

se, uti latius explicat *Odd. q. 30. art. 3. n. 11. Non obstat. 3.) L. 26. §. 1. d. 1.* nam loquitur de relegato, adeoque tali, qui ex vituperabili causa abest, nobis autem hic quaestio est, de eo, qui ex necessaria & laudabili abest. Non obstat 4.) *L. f. ff. de in integr. restit.* Nam ibi supponitur absentem per suum procuratorem legitime fuisse defensum, unde quia haecenus non est laesus nisi quoad omissam appellationem, etiam tantum ad illam a procuratore omissam interponendam restituitur. Si verò procurator relictus absentem non legitime in iudicio defendisset, absens sine dubio ad totam causam restituendus esset, & hoc indistincte, sive procurator sit solvendo, sive non, quia in eo d. *L. obstant fin. de in integr. restit.* non distinguit.

Th. XII.

Ceterum tantus est legitime absentium favor, tamque sollicitè prospectum iis est, ne ex laudabili suâ absentiam dampnum incurrant, ut absens Reipubl. causa etiam adversus eum, qui pariter Reipub. causa abfuerit, restituendus sit per norab. textum in *l. f. ff. ex quib. maj.* Cui non obstat, quod privilegiatus contra aequè privilegiatum non utatur suo privilegio. Resp. enim, absentem non ideo privilegium habere, quia absens est, sed absentiam cum laesione causam esse privilegii, perinde ut in *SCto Vellejano*, ubi femina apud aliam feminam intercedens non prohibetur uti beneficio *SCti Vellejani* per *l. 5. C. ad SC. Vellej.* quia femina non quâ talis, sed quatenus intercedit pro alio privilegiata est, *Lauterb. Colleg. Theor. pract. d. 1. §. 5.* alii dicunt, oppositam regulam locum non habere, si unus certat de damno vitando, & alter de lucro captando, aut si quis practice uti velit privilegio contra alium, hunc non impediri; sic & duorum nobilium quibus est privilegium ne propter debita in carcerem tradantur, alter contra alterum privilegio suo utetur. Sic & Ecclesia non praescribit contra Ecclesiam, nisi spatio 40. annorum, & privilegium Canonis est Clerico respectu alterius Clerici aequè privilegiati. *Conf. Zas. ad Decret.*

de privileg. & excess. privileg. no. 27. Lauterb. Colleg. de Const. princip. §. 47.

Th. XIII.

Imò non in damnis saltem , & si quid amiserit justè absens, sed & si lucratus non sit propter absentiam, ei restitutorio faciendâ est, l. 27. l. 41. l. 43. ff. ex quib. causis maj. ubi habetur exemplum, veluti legasset quis mihi mille, si tempore mortis ei adfuero : sed absim tempore mortis reipubl. causâ , interveniente prætoris auxilio perinde mihi legati persecutio conceditur, ac si præsens fuissim , quo in casu prætor succurrit dando actionem *institutoriam* sic dictam, quod prætor illam de novo det illi, qui stricto jure non habuisset, cui tamen justâ absentia nec quoad lucrum nocere debet. Myns. ad §. 5. *Instit. de action. n. 5.* aliis autem, qui absentia impediti jus quaesitum & actiones amiserunt, subvenit prætor dando actionem *Restitutoriam* sic dictam, quod censeatur restituta actio, quæ ante usucapionem vel præscriptionem completam competeat, & prout actio omissa fuit in rem vel in personam, ita & restitutoria talis est, nam hæc ab illâ non specie, sed adjektivâ tantum qualitate differt. Si opponas: actionem rescissoriam seu restitutoriam referri ab Imperatore inter actiones reales in §. 5. *Instit. de action.* ergo illam semper realem esse debere. Resp. Neg. Consequ. Nam ibi idcirco tantum ponitur inter reales, quod in illis multò fit frequentior, Schneid. ad d. §. 5. n. 9.

Th. XIV.

Absentium quoque utilitatis causâ receptum esse, ait Imperat. in §. 1. *Instit. de Oblig. que quasi ex Contr.* & Ulpian. in L. 1. ff. de Negot. Gestis. ne, cum subitâ sæpe festinatione, nulli demandatâ negotiorum suorum administratione, abesse coguntur, eorum negotia deserantur, ut quis ad alterius absentis negotia accedere, atque id quod impendit, negotiorum gestorum actione repetere possit, absenti verò ad rationem administrationis suæ reddendam compellatur; unde mutua gestorem inter & negotiorum dominum obligatio nascitur, quam non

non quidem propriè ex conventionem seu verò Contractu, sed quasi ex Contractu oriri manifestum est. *d. 1. Inst. de Oblig. que quasi ex Contr.* Ubi in primo limine præjudicialis quædam sese offert Quæstio: *An negotiorum gestio tantum sit, si quis absentis negotia gerit, & an non etiam talis dici possit, si præsens sit is, cujus negotiorum gestio in absentem tantum sit concepta. d. §. 1. Inst. & d. L. 1.* Rectius tamen cum *Struv. Exerc. 7. §. 46. Bachov. V. 1. D. 10. ib. 6. lit. b.* asseritur, negotiorum quoque gestionem esse posse, si quis præsentis negotia gerit, modo is ignoret, suum negotium geri; nam licet initio absentium gratiâ introductus sit hic quasi Contractus, *d. §. 1. Inst. de oblig. que qu. ex contr. ibi: ne absentium, qui subita fisionatione coacti, nulli deman- data negotiorum suorum administratione, peregrè profecti essent, de- fererentur negotia, ex post tamen receptum fuit, ut etiam præ- sentis geri possint, & sufficiat si vel absit, vel geri ignoret l. 41. ibi me ignorante vel absente. ff. de negot. gest. distinguendum itaque est, an præsens ignoret negotia sua geri, an vero sciat: il- lo casu vera erit gestio, hoc verò mandatum. Nec obstat superior ratio dubitandi, quod ubique fere definitio negotiorum ge- stionis in absentem tantum concepta sit. Nam *Resp.* Absen- tia duplex est, alia ab urbe seu loco, alia à negotio, cum quis loco quidem præsens est, sed non in ipso negotio, quod accidit, quoties nescit suum negotium geri, nam si ipsi negotio præsens esset, utique non ignoraret, adeo- que tum mandare videretur *l. 18. ff. mand. Struv. Evol. d. 1. Lauterb. Colleg. Theor. Pract. de negot. gest. §. 8. Dissent. Giphan. Disp. ad Inst.**

Th. XV.

Nec illud satis in materiâ negotiorum gestionis expedi- tum est, ad quam diligentiam obstrictus sit negotiorum ge- stor? mihi cum *Zaxio. ad ff. de neg. gest. n. 8. Wesenbec. n. 10. Lauterb. Colleg. d. 1. §. 16. seqq. Del Rio ad L. Contractus, 23. ff. de reg. jur. Schambog. ad §. 1. Inst. de obl. qua qu. ex Contr. pla- cēt sententia benignior, eum regulariter non nisi ad mediam*

B 3 seu

seu exactam diligentiam teneri, nec culpam levissimam ab eo præstandam esse per *L. 11. ff. § 20. C. d. t.* Cui accedit ratio manifesta, quod absentium favore edictum de negotiorum gestione receptum sit *L. 1. ff. d. t.* ne illorum negotia, nulli forte eorum administratione demandatâ deserantur, hunc autem finem LL. non obtinerent, si culpam levissimam gestor præstare deberet; quis enim aliena curaret negotia, si ad exactissimam diligentiam ea gerere teneretur? Consequeretur proinde, absentium negotia indefensa relinquere, & unde absentium favorem promovere vellemus, inde magis eorum utilitatem impediri. Dixi: *regulariter*. Nam sententia hæc limitatur, 1.) si alius diligentior concurrat, & respectu gestoris absteineat, & ita intellige *d. §. 1. I. de obl. qua. qu. ex Contr.* quem alias dissentientes objiciunt. 2.) Si ratio gestionem dissuadeat, ut si insolitum negotium gesserit, quod dominus gesturus non erat. *L. 11. ff. d. t.* interdum verò ad dolum tantum tenetur, si affectione ductus ad negotia alias peritura accesserit. *L. 3. §. 9. ff. d. t.* Dissentiunt quoad priorem opinionem Bachov. & Hunnius *V. I. D. 10. 1b. §. lit. C.* Struv. *Ex. §. 1b. 50. ibique Evol.* Vinn. Harprecht. *ad d. §. 1. I. Vultej. Discept. Schol. C. 15.* quorum tamen argumenta refutat Lauterb. in *Colleg. d. l.*

## Th. XVI.

Non absimilis est controversia, si absens redeat, & negotium gestum ratihabeat, an ex negotiorum gestione fiat mandatum? Difficultatem hac in quæstione faciunt diversa juris loca, sibi invicem contrariantia, nam in *L. 9. ff. § L. 9. C. de neg. gest.* dicitur & post ratihabitionem negotiorum gestorum actionem esse. E contra *L. fin. C. ad SC. Maced. L. 60. ff. de Reg. Jur.* habet, eum qui ratihabuerit quod gestum est, actione mandati obstringi. Missis aliorum conciliationibus, quarum sex refert Schambog. *ad Princ. Inst. de Mandato.* Verius est, etiam post ratihabitionem manere negotiorum gestionem, neque enim ea vis est ratihabitionis, ut negotia jam constituta, earumque formas mutet & tollat, sed tantum ut im-

perfecta,



perfecta, & à futuro consensu suspensa suppleat. Si igitur semel negotium formam accepit, eam secuta rati habitio amplius excutere nequit. Nec obstant allegata superius contraria juris loca in *l. fin. C. ad SC. Maced. § l. 60. ff. de reg. jur.* unde deducitur regula, rati habitio nem æquiparari mandato; Expeditissimè respondebis dicendo, hoc procedere adhuc integra & suspensa, non autem si negotium plene consumatum, cui certa jam forma data, nam consensus superveniens formam negotii non mutat. *Lauterb. in Comp. de neg. gest. p. 72.* Non incongrue hoc loco subjungitur quaestio, si absens, cujus nomine alius commisit homicidium, postea superveniat, & homicidium rati habeat, an ordinaria pœna legis Corneliae de sicariis sit plectendus? ad quam Resp. negativè per ea, quæ tradit *Zæus. ad ff. ad l. Cornel. de sicar. n. 23.*

## Th. XVII.

Quemadmodum verò quasi saltem contractus est, si quis absentis negotia gesserit absque mandato, ita tamen nihil impedit, quo minus cum absente omnis generis conventiones & veri Contractus celebrantur, ut puta per litteras, & per nuncios, per liberos, quos in potestate habet, & per servos *l. 2. §. 2. ff. de obl. & act.* unicum si exceperis stipulationis contractum, aliosque actus, quos non nisi stipulatione fieri LL. permittunt, in stipulatione enim verba presentium, sese invicem exaudientium, requiruntur. *l. 1. pr. ff. de V. O.* unde inter absentes ea contrahi nequit, §. 11. *Inst. de inutil. stipul.* Verum, an etiam matrimonium inter absentes rectè contrahi poterit? Resp. affirmativè utroque jure, Civili & Canonico, & quidem tam per litteras, quam per procuratorem, textu expressi. in *l. 5. ff. de ritu nupt.* ubi dicit Paulus: *mulierem absenti per litteras vel per nuncium posse nubere placet.* *Jung. L. 6. § 7. ff. eod. Cap. fin. de procur. in 6.* Ut verò matrimonium per procuratorem legitime ineatur, tria sunt singulariter observanda: 1.) ut habeat Procurator mandatum speciale de matrimonio contrahendo cum certâ persona. 2.) Ut per se ipsum mandatum exequatur, nec alium substituât, nisi hoc ei expressè

preſe commiſſum ſit; ſine dubio ideò, quod in hoc maximi præjudicii negotio certæ perſonæ fides ſit electa, ut proinde alteri committi nequeat, cum periculofum eſſe poſſet, oviculam committere lupo, & ejusmodi ſubſtituto procuratori, qui officii ſui fortè limites excedendo, principalis jura invaderet, pro quo tamen exceſſu reſarciendo & fructibus iniquè perceptis reſtituendis nec centum actiones mandati ſufficerent; uti in ſimili ferè ſimiliter loquitur Bachov. *V. J. D. 26. Th. XI. lit. f.* Et licet in aliis cauſis, ſi principalis mandatum revocet in ejus abſentia, procurator revocationem ignorans nihilominus mandatum validè exequatur *l. 15. ff. mand. hic tamen 3.)* procurator matrimonii in abſentiâ revocari poſteſt, & ſi revocatus fuerit, contractum poſteâ matrimonium, licet tam procurator, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignoraret, nullius momenti exiſtit, *d. Cap. ſu.* quod pro ſumma matrimonii libertate ita conſtitutum eſt,

## Th. XIIX.

Utrum autem id hodiernis adhuc moribus procedat, ut inter abſentes per procuratorem, aut literas matrimonium verum contrahi poſſit? dubium videtur nonnullis, eò quod ubique ferè nunc ad legitimum matrimonium benediçtio ſeu copulatio ſacerdotalis, vel ubi Concil. Tridentinum receptum, præſentia parochi requiratur, qui, ut habent verba d. Concil. *Viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu inintellecto dicat: Ego vos in matrimonium conjungo.* ut videantur ambo ipſi præſentes eſſe ſuumque conſenſum exprimere debere. Sed hoc non obſtante veriſſimum eſt, & hodie per procuratorem matrimonium inter abſentes rectè contrahi poſſe, nam præterquam quod id frequentiſſimus inter principes chriſtianos uſus demonſtret, hæc etiam ratio inconcuſſa evincit, quia etiam hodie matrimonium in forma Contractus & quidem conſenſualis initur; atqui Contractus conſenſuales per procuratorem & nuncium rectè ineuntur *l. 2. §. 2. ff. de oblig. & action.* Ergo. Deinde non eſt inducenda juriſ mutatio ſine neceſſitate, hic autem nulla eſt neceſſitas, nam ex moribus

moribus ista benedictio sacerdotalis, aut potius presentia parochi solum requiritur, ne clandestina matrimonia, quæ usus & leges irritarunt, contrahantur, sed si contrahatur matrimonium per procuratorem coram parocho & testibus, potest in facie Ecclesiæ probari, & non est clandestinum, ergo non est ratio, obquam de moribus aliter statuere sit necesse. Et si per literas contrahatur matrimonium, poterit quis in literis scribere, se non tantum in Semproniam v. g. consentire, tanquam uxorem, sed etiam ipsius vicissim consensum ex nunc acceptare ipso tempore, quo illum præstabit: tali enim epistolâ lectâ coram parocho & testibus, & Semproniam consentiente, verum, legitimum & indissolubile matrimonium est contractum. Nicol. de Passerib. *de script. priv. lib. 3. q. 31. per 101.*

Th. XIX.

Dictum hætenus fuit, quod omnis generis conventiones & contractus cum absentibus recte celebrari possint, cui subjungenda nunc est tractatio de fori competentia, quæ in loco contractus fundata est, ut ibi quis conveniri possit ad id, quod ex conventionem præstare tenetur. Est autem locus contractus, ubi quid promissum est dari, seu in quo solutionem fieri, convenit, licet contractus alibi fuerit celebratus *l. 3. ff. de reb. auct. jud. possid. l. 21. ff. de O. & A. l. 9. §. 1. ff. de judiciis.* Cujus ratio est, quod unusquisque intelligatur eo contraxisse loco, in quo ut solveret, se obligavit. Quod si verò de certo solutionis loco nihil fuerit expressè conventum, locus contractus & solutionis censetur ille, ubi conventio perfecte celebrata. *l. 19. §. 2. l. 20. ff. de judiciis.* Hinc si absentes per litteras vel per nuntium contrahant, locus contractus dicitur, ubi utriusque consensus conjungitur. *Berl. P. I. des 37.* Si in scriptis contrahere placuerit, in eoloco fori competens constituitur, ubi scriptura perficitur. *arg. princ. Inst. de empt. & vend.* quod tamen secus est, si contractus perfectus in alio loco, probationis tantum gratiâ in scripturam redigatur, vel confirmetur. *arg. l. 4. ff. de pignor. & hyp. l. 4. ff. de*

C

de

*de fide instrum.* Et quidem in dubium est in loco contractus quempiam sortiri forum, si casu quodam post contractum in initum ibi repertus fuerit.

Th. XX.

Dubium tamen est, an absens, qui in loco contractus vel destinatae solutionis nunquam comparet, ibidem conveniri possit? affirmativam tenet Hahn, *ad W. de judiciis n. f. p. 291. Carpz. lib. 2. Resp. 29.* quia reus contrahendo in locum contractus ejusque jura consensisse videtur, unde & judici & actori jus quaesitum est, quod reus absentia sua iis auferre non potest. Pro qua sententia facit generalitas *L. 19. §. 1. ff. de judiciis.* & magis *Nov. 69. cap. 1.* Cujus effectus est, quod ibi condemnari, & tum executio per subsidiales ab eo magistratu desiderari possit, ubi contrahens vel bona vel domicilium habet, aut si in loco contractus bona quoque habeat cum effectu quoque ibidem condemnari potest, aut ibidem si in transitu deprehendatur, arrestari. De jure tamen Canonico propter *Cap. 1. §. Contrahentes. de for. Compet. in 6.* haec sententia non aliter admittitur, ut absens in loco contractus conveniri possit, quam si bona ibidem habeat, tunc enim ad locum contractus debitor absens citari, & si contumax sit, creditor in ejus bona immitti poterit. *Conf. Covarr. pract. quasi. C. 10. Lud. Engel in Colleg. jur. Can. de foro Compet. p. 1. §. 3. n. 23.*

Th. XXI.

Sed quomodo absens, qui in praedicto casu ad locum contractus, aut in aliis etiam contingentibus, citari debet, interim tamen extra territorium citantis moratur, citandus sit? inter juris Interpretes non omnino constat; Aliqui volunt nuntium tunc citationem extra territorium absenti infinuare posse, non quidem exercendae jurisdictionis, sed notificandae liris futurae gratia ad eum effectum, ut judex in contumaciam citati non comparentis ad immisionem bonorum procedere possit; *Hannold de I. & I. tom. 5. tit. 3. C. 1. n. 24.* sed tutius est tali casu judicem ejus loci, in quo absens degit, per literas

litteras subsidiales, seu mutui compassus, ut vocant, requirere, ut vel nuntio misso facultatem tribuat citationem exequendi, vel ipse per suos ministros exequatur. Quod si autem tali requisitioni iudex requisitus deferre nolit, tum fieri potest citatio edictalis, ac edictum publicum in territorio citantis, locis consuetis, puta in curia, pratorio, aliove in loco, uno vel pluribus, prout iudici citanti videbitur, affigi; quod edictum hoc ipso, quod publicè affixum sit, præsumitur, ad citati notitiam pervenire, atque adeo eundem constringere. arg. C. 1. X. de postul. præl. Emeric. à Rosbach in praxi civ. tit. 23. n. 5.

Th. XXII.

Quòd proximè dictum fuit, an absens in loco contractus conveniri possit, idem planè & in delictis quæritur, an absens in loco delicti forum sortiatur? & quanquam in delictis publicis res dubio careat, prout mox dicetur; quoad privata tamen delicta, an scilicet in absentem in loco commissi delicti privati iurisdictio fundata sit? Controversia inter partes dissidentes hæret; Negativam defendit Carpzov. tit. 7. art. 2. n. 56. & Lib. 2. Resp. 26. Affirmativam tenet Berlich. P. 2. dec. 181. Hahn ad W. de judiciis. quæstionem indecisam reliquit Lauterb. in Colleg. Theor. præl. de judiciis § 1. & in Compend. eod. tit. p. 107. mihi probabilior videtur affirmativa propter latis manifestum textum in Nov. 69. C. 1. princ. & §. 1. ibi: *ut unusquisque in quâ provincia deliquit &c. illic etiam juri subjaceat &c. quid enim durius, quàm læsum circa sublationem bovis &c. aut galline hunc cogi non, in quâ auferitur provincia litigare, sed alibi currere.* Qui textus sine dubio hic loquitur etiam de furto, quod delictum privatum esse de jure Romano nemo negabit.

Th. XXIII.

Dixi ante notanter: *quod in delictis publicis res dubio careat.* Nam cum delicti publici reus à loco commissi delicti absens est, de jure Justiniano magistratus loci, ubi degit reus, eum ad locum delicti commissi, petente scilicet ejus magistratu necessario remittere tenetur l. 7. ff. de custod. & exhib. reor. ut expeditius procedi, & majus exemplum aliis,

C 2

latisve

zissive solatium dari possit; hujusmodi autem transmissiones reorum absentium facilius de jure Romano fieri poterant, cum omnes provinciæ Imperatori absolute subiectæ essent, sed formâ Imperii Rom. Germ. hodie multum mutatâ nullus superioritatis jure gaudens alteri ad remissionem devinctus est; ideoque remissiones hodie non nisi jure amicitia & vicinitatis fieri solent, datis literis reversalibus, auf Revers und Gegenbestandnis; (scilicet remittentis jurisdictioni nullum per hoc præjudicium futurum, seque in casu simili idem officii genus facturum. Gail. de P. P. l. 1. C. 16. n. 31.

## Th. XXIV.

Cæterum jus Civile ex singulari æquitatis ratione non patitur quenquam absentem in gravioribus criminibus, quorum pœna est corporis afflictiva, accusari, & inaudita causa damnari, *L. absentem. s. ff. de penis*. Si tamen ubi reus degat, non constat, ut inde remissio a magistratu peti possit, receptum est, ut edictis absens evocetur, per quæ res ad absentis notitiam pervenire possit, *101. tit. ff. & C. de requir. vel absent. damn.* interim tamen ejusmodi rei absentis requirendi nomen in acta publica refertur, & ejus bona statim à tempore fugæ obliquantur, & postea annotantur, exque iis latitanti nihil prorsus conceditur, ut unde se alere diutiusque latere queat, non habeat, sed eo magis copiam sui præstet *l. 1. §. 1. f. §. 3. ff. d. 1. hoc facto* si intra annum reversus se crimine purgaverit, integram rem suam recipit; si intra annum mortuus sit, quia crimen mortalitate extinguitur, bona ad hæredes ejus transmittuntur, *l. fin. ff. ad l. jul. maj.* ubi exceptio traditur quoad crimen perduellionis, nam ibi nisi defunctus à successoribus purgeatur, hæreditas fisco vindicatur, *d. l. fin.* si vero intra anni spatium noluerit adesse, neque se defenderit, bona annotata fisco irrevocabiliter vindicantur. *l. 5. pr. ff. & l. 2. C. de requir. vel absent. dam.* jure tamen novo sicut Imp. Justin. in omnibus damnatis (excepto crimine perduellionis) publicationem bonorum certo modo sustulit, aut potius restrinxit, ita & illam in fugitivis & absentibus eodem modo sublatam esse communiter

munitur traditur, licet ex Carolina *art. 216.* annotationem bonorum adhuc faciendam esse satis constat. Conf. Lauterb. *Coll. Theor. Pract. d. 1. S. 3.* & ibidem allegatos,

Th. XXV.

Et quanquam ne hodie regulariter absens reus criminis, pœnam ultimi supplicii inferentis, facillè condemnari debeat, quia videtur indefensus, & tritum aliàs sit: suspendio neminem enecari, nisi præsens sit & habeatur. Complura tamen exempla, quorum & nonnulla non ita pridem ex vicinia relata sunt, prostant, per totam Europam in absentes commentitio supplicii genere in imagine animadverti, & dicitur EXECUTIO IN EFFIGIE, qua criminum capitalium enormissorum rei absentes & aufugientes, licet se metu pœnæ iudicio sistere non ausi, nihilominus causâ cognita, testibus probationibusque auditis, non secus ac si quis præsens esset, iudicati atque condemnati effigies ad eum modum tractatur à carnifice, quali modo ipse reus præsens tractandus esset; & sic ipsam principalem pœnam præcisè, quæ reo per sententiam dictata, reduciq; certò expectanda est, omnium oculis exhibet atque exponit. In sententia autem semper alternative poni solet, ut pœna dictata fiat in corpore, aut eo absente, in effigie. De quâ executione in effigie integra extat dissertatio Dn. Fromann, ad quam brevitatis studio me remitto.

Th. XXVI.

Dictum in præced. Th. XXIV. quorsum deveniant bona absentium qui delictorum publicorum rei sunt, nunc inquirendum, quid faciendum cum bonis alicujus, qui simpliciter & non per modum fugæ diu abest? regulariter equidem ejusmodi absentis bona non ante ab hæredibus ejus tanquam hæreditaria occupari possunt, donec probent absentem esse mortuum, quia res præsumitur manere in statu, in quo est, qui ergò statum vitæ in absente mutatum ait, hanc suam assertionem probare necesse habet. Dn. Srruv. *S. I. C. Exerc. X. Th. 66.* de modo mortem probandi, vid. Mascard. *de probat. concl. 1373.* & seq. Carpz. *p. 1, C. 16, de 37.* & seqq. Morte autem

C 3

non

non probatâ interim saltem bonorum absentis administratio cognatis proximioribus conceditur, qui tamen cautionem idoneam præstare debent, de reddendis absenti forsân reversuro rationibus, deque restituendis bonis cum fructibus, vid. Carpz. P. 3. C. 15. def. 48. & seqq. adeo ut juratoria cautio non sufficiat juxta Mev. P. 2. dec. 61. quidquid dissentiat Carpz. d. l. def. 53. Richt. P. 1. dec. 65. n. 23. neque enim satis prospectum esset absenti, neque Magistratus, juratoriam cautionem admittens, bonis postea dissipatis, actionem subsidiariam effugere posset. Müller. ad Struv. d. l. p. 659. Licet autem ex temporis lapsu mors absentis quoque probari & præsumi possit; de quantitate tamen temporis inter DD. non convenit; Multi putant, si nullæ aliæ conjecturæ concurrant, absentem pro mortuo tum demum habendum esse, si jam foret homo 100. annorum. Finckelthuf. Obs. 100. aliique DD. allegati apud Carpz. P. 3. Const. 15. def. 17. n. 3. per l. 56. ff. de usufr. ubi 100. anni dicuntur esse finis vitæ longævi hominis; secundum quam sententiam etiam pronunciavit Facultas juridica Lipsiensis, apud Carpzovium d. l. Quibus tamen modo laudatus Carpzovius alleg. l. sese opponit, & concedit, equidem finem vitæ hominis longævi esse 100. annorum, ut dicitur in d. l. 56. sed si inde inferre velis, hominem etiam præsumi 100. annos vivere, id ipsi Carpzovio valde ridiculum videtur, cum experientiâ teste rarissimè ad illum terminum accedant homines, quæ autem rarissimè accidunt, non præsumuntur, l. 64. ff. de reg. jur. ex eo enim quod communiter fieri solet, in dubio præsumptio exoritur. Nec contrarium ex superius adductâ l. 56. ff. de usufr. nec non ex l. 23. C. de SS. Eccles. probari potest, nam in his textibus tantum dicitur, quod longissimus & ultimus vitæ humanæ terminus sint 100. anni, nullatenus autem homines tam diu vivere, plerumque & in dubio præsumi. Rectius itaque cum Struvio & Carpz. dd ll. dicitur, hoc, cum jure definitum non sit, judicis arbitrio esse relinquendum; qui ex præsumptionibus & conjecturis, cujus scilicet ætatis fuerit absens, quando abesse cœperit, quamdiu abfuerit,



rit, quem in locum, & cuius rei causâ profectus fuerit, informatus, tutò hoc ipsum decidere poterit.

Th. XXVII.

Possent hic, quemadmodum de bonis alicujus absentis in præced. Thesi tractatum, ita & nunc de statu conjugali absentium quædam subjici, utrum nimirum & quousque vinculum matrimoniale si alteruter conjugum malitiosè abesse cœperit, uxorem inter & maritum perduret? cum ex notâ receptaque Consistoriorum nostrorum praxi contra ejusmodi maliciosos desertores, qui sine ulla causâ, ex mero tædio & odio conjugis absunt, processus desertionis peti & discerni, vinculumque conjugale dissolvi soleat. DD. communiter *ad ff. de divortii & repud.* Item quousque sponsa sponsum absentem expectare teneatur? de quo Vallens. *ad jus Can. de sponsal. & matrimon.* §. 4. n. 4. König. *eod. n. 70.* Zxfius *eod. n. 38.* Pariter, an sicut mortuo Imperatore & sede vacante, Serenissimis Imperii Vicariis ejusdem administratio competit, ita & iidem jus illud Vicariatus in Imperatoris absentia exercere possint? quam quæstionem Dn. Schweder *in introduct. in jus publ. p. spec. sect. 1. cap. 33. §. 6.* latius pertractat, & negativè resolvit. Item quousque absente tutore aut curatore pupillus aut minor ex conventionibus obstringatur? Nec non quatenus Clerici præbendati non residentes in loco sui beneficii in absentia fructus & redditus Canonicales percipiant? de quo Ludovicus Engel. & Canonistæ communiter *X. de Cleric. non resid.* Sed quia istæ & plures ejusmodi de absentia & absentibus instituentiæ non inelegantes dissertationes, brevissimis hisce paginis, quibus aliquale saltem speciminis cujusdam inauguralis argumentum, intra illas, quibus me arctavi, temporis angustias, comprehendere destinavi, fusiori tractatu elaborari haud potuerunt; igitur sit pro ratione instituti satis, & præfatis supremo Numini gratis, quod hanc usque ad metam conatus meos pervenire gratiosissimè concesserit, Specimini huic Inaugurali esto

FINIS.

S. D. G.

**D**um *presens* Themidi, non *absens* mente fuisti,  
Hæc TIBI non *absens* præmia læta refert.

*Clarissimo Dn. Doctorando de Absentia inauguraliter  
disputanti hoc modo acclamat*

FRIDERICUS ANTONIUS Hallenhorst/  
J. u. D.

**M**ulta *fovent alii*, mea vota in pauca *resolvo*:  
*Adstet captis, ipse Jehova Tuis!*

*Hisce paucis Nobilissimo ac Clarissimo Dn. Doctorando,  
Cognato atque Amico suo integerrimo se  
commendare voluit*

JOH. ELIAS Meier/  
Jur. Stud. Erf.

**A**bsentis tractas dum docte jura, probasque,  
Quod sis Doctoris dignus, AMICE, gradu.  
Dum Cathedram scandis volui conjungere vota  
Cum reliquis, quævis fausta precando TIBI.  
Militiam cum vis sectari Justiniani,  
Intrepide, fauste & gnaviter arma gere.  
Justitiam, pressosque TUO jam Jure tuere,  
Fac quæ sunt Juris, præmia justa feres.  
Præcticus es Juris, votorum summa meorum  
Hæc est: *Pandectas* apprecor inde bonas,  
Plura sub hoc verbo teneo, felicia quævis  
Apprecor, & paucis profero multa, Vale!

*Festinanti quidem, sed tamen amica manu apponere  
solvit ac debuit*

JOHANNES CHRISTIANUS Besimelburg/  
Gothanus, S. S. Theol. Stud.

Erfurt, Diss., 1717

ULB Halle 3  
004 548 485




f

TA-70L

nur 2 u 4 bisher verkauft







9

1717, 11

12

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA;  
DE  
**ABSENTIA,**  
QVAM  
DIVINA FAVENTE GRATIA;  
ANNUENTE  
*AMPLISSIMA FACULTATE JURIDICA,*  
IN ALMA ET PERANTIQUA UNIVERSITATE ERFORDIENSI,  
*SUB PRÆSIDIO*  
**DNI. JOHANNIS HENRICI**  
**MEIERI,**

S. 510.

JCTI, ELECTORALIS REGIMINIS CONSILIARII, DECRETAL. PROF.  
PUBL. FACULT. JURID. P. T. DECANI, SENIORIS ET JUDICII PRO-  
VINCIALIS ASSESSORIS PRIMARI, ETC.

*PATRONI AC FAUTORIS SUI VENERANDI,*

**PRO LICENTIA,**  
SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA SOLENNITER  
CONSEQVENDI,

*PUBLICÆ DISQVIGATIONI SUBMITTIT*

**JOHANNES BALTHASAR DÜRFELD,**  
*SAXO-GOTHANUS,*  
**IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI,**  
DIE VI. OCTOBRIS, MDCCXVII,  
HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, LITERIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

